

Salmasio, cui δώτιον est *Lotium et Lautium*. in exercitationibus Plinianis, pag. c 10 xii. uti solent, qui ludibundi agunt multa, huc animum minus, ac par erat, attendit Laelius Bisciola, et, neglecta hac animaduersione, *Daucia a Festo*, magno librariorum errore, dici, credidit, Horarum Subcesiuarum Vol. II, lib. VII, cap. IX.

*Lautium* tamen non dici, sed *Lautia* supra obseruamus. Aliis originum explanatoribus, Marcello etiam Donato, *Lautia a lautum*, quod iis lautitia epuli instruatur. Festo quidem sunt *Lautia*, *quae dantur legatis, hospitii gratia*. itaque Plutarchus uocat ξένια, hoc est, munuscula, *quae legatis mittantur*. uerum uterque loquuntur infinite, quando non haec sola dabantur legatis, sed alia quoque pecunias dico, aurea, atque argentea, uasa. *Lautia* uero aliud uolebant, uti postea dicetur. at *lautitia*, quemadmodum scribi oportet, designabatur *regularum magnificentia*, atque illa a *lauatione* dicta putabatur, *quia*, ut ait Festus, *apud antiquos hae elegantiae, quae nunc sunt, non erant, et raro aliquis lauabat*. etiam copiosi, et lauti, homines, in balneis, ante epulas, lauari solebant. siccirco uerbi notio, magis definita, in lauandi,

A 3

quam